Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Gefördert durch DFG Deutsche Forschungsgemeinschaft

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

DFG-Projekt "Personales Gelegenheitsschrifttum in der SuUB Bremen (16. bis 19. Jhd.). Digitalisierung und Erschließung."

Viro Perillvstri Perqvam Magnifico Atqve Excellentissimo Domino Martino Eelking Icto Eminentissimo Reipvblicae Patriae Vltra Annos XXXIII. Senatori Modo Seniori Meritissimo Rei Militaris Cvratori ...

Roller, Christian Nicolaus

Bremae, 1781-10-17

VD18 91022738

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Signatur: 99.z.0001-153

urn:nbn:de:gbv:46:1-178402

Visual Library

12.

VIRO PERILLVSTRI

PERQVAM MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

MARTINO EELKING

ICTO EMINENTISSIMO

REIPVBLICAE PATRIAE VLTRA ANNOS XXXIII.

SENATORI

MODO SENIORI MERITISSIMO

REI MILITARIS CVRATORI SPLENDIDISSIMO

RELIQVA

IAM AD CONSVLATVM CVNCTIS

PATRVM CONSCRIPTORVM

SVFFRAGIIS EVECTO

SVPREMVM HOC DIGNITATIS FASTIGIVM

D. XVII. OCTOBR. CIↃIↃCCLXXXI.

SOLEMNI RITV OCCVPATVM

QVO PAR EST DEVOTISSIMAE PIETATIS ET OBSERVANTIAE

CVLTV GRATVLABATVR

CHRISTIANVS NICOLAVS ROLLER

V. D. M.

ET PHILOSOPHIAE IN ILLVSTRI SCHOLA BREMENSI PROFESSOR, NEC NON

ROTERODAM. LITTERAR. SOCIET. CVIVS INSIGNE EST

PRODESSE CANENDO

MEMBRVM HONORARIVM.

BREMAE,

TYPIS DIDERICI MEIER, TYPOGRAPH. GYMNASII ILLVSTRIS.



Quae modo ferales ducebas pectore leſſus,
BREMA, miniſterio CONSVLIS orba Tui,
MAGNIFICI GROENING, inopina morte peremti,
Quique decus PATRIAE, CIVIS amorque fuit;
Iam vultus, animi poſito moerore, ſerenas,
Et capis auſpiciis gaudia digna nouis.
CONSVL enim legitur, quo non praeſtantior alter,
Nec poterit vacuo dignior eſſe loco:
Vir bonus eligitur, damnum ſarcire peritus,
Nobilis ingenii dexteritate ſui:
Scilicet arte potens EELKING, Atlantis ademti
Herculeis humeris iam ſubiturus onus.
Qualiter emergens rutilus poſt nubila Phoebus
Purum diſcuſſis aëra reddit aquis:
Taliter et PATRIAE nebulis feret ILLE fugatis,
Ceu noua lux, hilares et ſine nube dies.

Ergo rumpe moras, VRBIS cape dexter habenas,
Et rege ſollerti ſceptra verenda manu:
CVRIA TE CIVESque rogant; Tua iuſſa capeſſit
Applaudens meritis femina virque Tuis.
TE PROCERVM celebrat ſpecioſa laude CORONA;
Quamque SCHOLARCHA reges, patria Muſa canit.
TE Caput appellat Populus, Patriaeque Parentem,
Aſtraeae columen, praeſidiumque ſuum.
Suſpicit omnis agri ſimplex Tua iuſſa colonus,
Proque Patris Patriae vota ſalute facit.
Quod licet ac par eſt, quod honeſtas ſuadet et vſus,
Praecipit in primis fautor Apollo mihi,
Sorsque patrocinii, quo me dignare meosque,
Quos iuuat imperii ſcena ſuperba Tui.
Nempe TIBI partos vt carmine grater honores,
Vtque canam ſceptris fata ſecunda Tuis;
Vt CONSANGVINEIS, COLLEGIS atque PROPINQVIS,
Ciuibus egregiis pectore, claſſe, domo,
Cumque thori SOCIA, ſexus generisque Corona,
FILIO, et Huic NATIS proſpera quaeque precer:
ILLI praecipue, qui, PATRIS ad inſtar agendo,
Emicat in primis arte locoque Viris.
Sic patris exemplo Iouis ales cernere flammas
Solis, adhuc pullus, diſcit, et aſtra petit.
Macte Tuis igitur virtutibus atque triumphis;
Macte ornamentis, VIR GENEROSE, Tuis!
Viue! Tuamque nouis famam diſtende per orbem
Laudibus ac meritis officiisque piis.
Aurea longaeuae TIBI nectat ſtamina vitae
Parca; regat naues aura ſecunda Tuas!

Adſpiciat vultu Patriam Fortuna ſereno;
Floreat auſpiciis BREMA beata Tuis!
Iura MAGISTRATVS valeant, legesque triumphent;
Sint ſalui PATRIAE, nomina chara, PATRES!
Libertatis honos, Commercia, Sacra, Camoenae
Conſtanter vigeant, nosque ſalute beent!
Rideat omnis ager, ſit abundans frugis et herbae;
Sint procul aduectis horrea plena bonis!
Aurea ſic Patriis orientur ſecula Terris,
BREMAque ſublimi ſidera fronte petet.
Participem tantae, CONSVL GENEROSE, ſalutis
Me fore, crediderim: ſi mihi porro faues;
Si, quod agis, doctas ornaueris Vrbis Athenas,
Atque Scholam ſtudiis foueris vsque Tuis.